



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti  
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica  
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],  
libri VII**

**Rupertus <Tuitensis>**

**[Köln], 1527**

**VD16 B 3703**

Introduxit me rex in cellam uinaria[m] & ordinavit in me charitatem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34445**

COMMENTARIO, LIB. I. 24

Et pulchre. Attamen illa credidit quod non uidebat  
credidit (inquam) serpenti dicenti, nequam morte mo-  
riemini, sed eritis sicut dii: magis quam deo dicen-  
ti, morte moriemini in quocumque die ex eo come-  
deritis. Plus (inquam) serpenti quam deo credidit.

Iusta ergo lege, ut expietur ille reatus malae  
credulitatis, exigitur fides, ut credatis id quod non  
uidetis: credatis (inquam) deo dicenti, hoc est cor-  
pus, & hic est sanguis: magis quam serpenti, qui per  
haereticos dicit, non est caro, non est sanguis: &  
eritis sicut filii dei. Haec ubi fecit & dixit paratam  
in conspectu uiuentium mensam, relinquens com-  
petentem illis, confortem ad mortuos siue dormien-  
tes ipse obdormiscens & mortuus profectus, anima  
descendente ad animas, & corpore ad corpora in  
eundem terrae uentre, quo fuerant recepta, atque  
ita de semetipso cibauit atque potauit eos, atque ex  
inde sub umbra illius sedent in perpetuum, & fru-  
ctus eius dulcis gutturi eorum. Mihi potissimum  
umbra suavis & fructus dulcis quam cum amore  
spiritus trahit ad illum & natura carnis. Cum esset  
in uita peccati, non solum modo supradicto sub um-  
bra illius sedere, uerum etiam faciem eius desyde-  
rabam semper uidere, semperque mecum peccatam  
habere. Sed quid actum est?

Psal. 22

Iohan. 2

Introduxit me rex in cellam uinariam &  
ordinauit in me charitatem.

Vinum non  
habent.

Ventum est ad nuptias, ubi & aquas in uinum  
conuertit. Hoc initium signorum continuo facturus  
dixit mihi. Quid mihi & tibi est mulier? Nondum  
uenit hora mea. Dixeram enim ego illi. Vinum  
non habent. Et quidem uerum erat, quia uinum  
non habebant, non solum sicut litera sonat de-

.I  
tur.  
inter  
ma,  
ui-  
me  
san  
bum  
se-  
car-  
sed  
giter  
ulcis  
ne-  
no-  
dulce  
mor-  
&  
hu-  
uita  
ue-  
li ut  
pri-  
mor-  
us e-  
licis,  
rs me  
s. No  
rofe-  
bente  
uinu  
aspe-

RVP. IN CAN. CAN, CAP. .I.  
fecisse uinum, sed quia defecerat in omnibus nu-  
ptijs huius seculi per peccatum primi hominis  
uinum uerum, scilicet incorruptio animarū &  
immortalitas corporū. De huiusmodi uino ma-  
ior illi cura erat, sed nondū (ait) uenit hora mea  
hora scilicet propinandi hoc uinum, reparandi  
per mortem & resurrectionem meam in corrup-  
tionem animarum, immortalitatem corporū.  
¶ Tanto mihi negotio impendente, quid mihi  
et tibi est mulier? Opus dei tuis affectibus præ-  
ponendum est. Non tuam, imo nō meam sed pa-  
tris mei uoluntatem fieri oportet. His & alijs  
huiusmodi uerbis introduxit me in cellam ui-  
nariam & ordinauit in me charitatem, id est, in-  
telligere me fecit se ad hoc uenisse, ut humani ge-  
neris aquaticam infirmitatem in suum uinum,  
id est, in suæ immortalitatis conuerteret fortitu-  
dinem & quod affectibus meis diuinam uolun-  
tatem præferre deberem. ¶ Hoc est enim ordina-  
tam habere charitatem, optare quidem ut non  
moriatur talis dilectus, sed amplius desiderare  
totius humani generi salutem. Inordinata & ad  
huc ordinanda erat charitas Petri qui assumens  
illum seorsum, absit (inquit) domine non erit ti-  
bi istud. Dixerat enim, q̄ tradendus esset in ma-  
nus hominum & occidendus. Iam dudum docu-  
erat me charitatis ordinem, ut dolorem quidem  
& iusti doloris gladium in mente uel anima pot-  
tarem, non tamen auerti propositum dei cupere-  
rem, prouenturum ipsi ad gloriam & honorem,  
& humano generi ad perpetuam salutem.  
Quid igitur?

Quid mi-  
hi & tibi ē  
mulier

Ordinata  
charitas  
Mat. 16